si ab animo sedato et mei amante profectam observassem,
quo consilio cum et Delineationis compendio annotâ-
verit, quæ vos expedire credidit non nescire.

Quid sacris magne sacerdos?

Puta illum, puta me ipsum dicere:

Si quid novisti rectius istis

Candidus imperti, si non, his utere mecum:

Sanè de Autore vel Tractatu ipso senties tu, ut libuerit,
mihi vel unius rei gratiâ chari sunt uterque quod non
sine specie miraculi #

Ad Comitem de Brienne.

Ad Comitem de Brienne (477.

Excidisse me tibi, vir Illustrissime, ex quo postremum
te quæsivi, ut quidem Giraldus opinatur, vehementer
doleo, et infinitis, quæ te distrahunt negotiis imputo
libens meritoque. Tandem aliquando tamen, quod
a te petii, à maximo Regum ~~ut in tempus~~ impetres
breviusculum fandi tempus nunc denuò rogari sinas
et felicius recordari

Tui omni obseqnio
C. Hugenii à Zulichem.

Paris: 14. feb: 1662.

Ad Comitem de Brienne.

(478.

Quando per hesternas Aulæ strepitus discedendum fuit
re infectâ, obsecro vir Illustrissime, si visurus hodie
Regem es, ut hunc libellum ei tradere ne graveris
quod non meâ solum interest ne differatur, sed vel
tuâ maximè, ut quantocyùs ab hoc homine libe
reris, nimiâ tandem familiaritate, quantum nec
vacet tibi, nec ipsum deceat moleste.

Briennio.

(479.

Ne te pergam præsens obtundere, quæso vir Illustrissime
velis huic epistolio tribus verbis subscribere ecquid
mei ratio habita sit in Senatu, ut quidem tu
futurum receperas. deinde quem et quando rei
exitum sperare jubeas, id est quem Verbi Regii
effectum. Instat Æstas, et æstus ipse, qui quam
molestus sit futurus iter facienti versus Meridiem
nemo ille melius intelligit, quam qui multa tulit
fecitque puer, sudavit et alsit versus utrumque
Polum, tu nimirum forti et industrio si quis quam
Orbis Christiani lustratore.

Illustrissime